



dioeceseos Moguntinae suffraganeorum commemoravit. Nec diversum a nostro esse videtur Chronicon manuscriptum in Bibliotheca Fratrum Eremitarum Conuentus Moguntini, cuius auctoritate *Ioannis in Commentario ad Serrarii Res Moguntiacas* plus simplici vice 9) usus est, verba enim ex illo prolata per omnia conspirant cum iis, quibus eadem res in nostro narrantur, quamquam in paginis inter se discrepent. Quia vero nostrum, uti ex omnibus apparet, est verum auctoris autographum, sequitur, ut Patres isti nudo utantur apographo. Doleo perdoleoque adversam illustri et meliore digni Chronographi fortunam, qua quinque eius Volumina, Deus novit, quot quasue in oras? dispersa in obscuro circumvagantur aut forte reliqua quatuor tui vel piperi inuoluendo insumta sunt. Equidem lubens et aequissimis conditionibus primum et totius operis princeps Volumen essem relicturus, si reliqua Volumina in tabulario vel bibliotheca quadam superessent sicque omnia recolligerentur, quo facto utique esset optandum, ut coniunctim prelo mandarentur, quoniam de variis Archidioeceseos Moguntinae Episcopatibus parum aut nihil, quod historiae nomine dignum, adhuc habemus.

OBSERVATIO VI.

De Nicolao de Syghen eiusque Chronico Thuringiae.

Huius quoque Chronici in Observationibus I. et II. et forsan alibi fecimus mentionem, hinc non abs re fore duximus, si et illud paulo accuratius describeremus. Servat eius autographum Archivum Ducale, cui Serenissimi Ducis Saxo-Vinariensis gratia non sine volupta-

H 3

volupta-

9) e. g. S. R. Mogunt. Tom. I. p. 536. §. VII. not. 4) p. 537. §. X. n. 1) &c.